



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Sente[n]tia vel opinioni propriæ pertinaciter sihærens peccare potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## Pertinacia.

453

currentis considerare & iudicare in eo qui vigilare studet super gregem suam . De illo autem cui cura non est an oves errant non oportet solicitum esse quia iam iudicatus est.

*Actus permutationis potest tribus concur-  
currentibus esse vitiosus.*

Permutatio illicita est tripliciter . Primo ex communibus, si iniusta est , puta quia non seruat & qualitas rei ad rem : & similiter si cum fraude aut dolo fiat. Secundo ex materia repugnante: ut si permittentur spiritualia, quasi estimata pretio aliquo. Tertio, ex materia prohibita, seu limitata est iure humano. Et haec ponitur triplex scilicet mancipia Ecclesiæ, quæ permittari si debeant, oportet servari quæ de illis iura disponunt . Servi fugitiui quandiu in fuga sunt, qui prohibentur permittari . Et tertio beneficia ecclesiastica: quæ licet non permittantur communiter, aut si pacta firmantur sine autoritate superioris, aut si fiat sine autoritate superioris , aut detur aliquid temporale pro spirituali , aut omnibus his servatis , si permittendo nulla cura est cui Christi oves committantur. Et hoc coram Deo est crimen maximum.

*Sententia vel opinioni propriæ pertinaciter  
inhærens peccare potest.*

Pertinacia (qua homo in propria perseverat sententia plus quam oportet) peccatum est: ut pote, à recta ratione dissonans . Oportet autem secundum subiectam materiam iudicare an sit mortale vel veniale peccatum. Nam si pertinax quis est circa plantandam arborem, aut aliquid eiusmodi. hoc non perniciosum est, sed veniale. Si autem circa aliquid pernicio- sum (ut sunt ea quæ sunt fidei, & quæ nocent homini) mortale

mortale est , propter iniuriam quæ fit Deo aut homini gratia materiae . Et hoc intellige de sententia consummata in opere voluntario interiore (puta credere) vel exteriore, puta colere, emere &c. secundum erroneam pertinaciam. Quod ideo dico: quia si in solo nudo puroque intellectu quæcumque pertinacia consistat, credit autem, speret, diligat opereturq; secundum communem Ecclesiæ traditionem, nullum video peccatum mortale.

**P**ignus accipere illicitum redditur tripliciter. Primo, si ad lucrum non computandum in fortē accipitur , quia hoc est contra naturalem iustitiam Secundo, ex materia prohibita, ut si homo liber accipiatur in pignus pro debito: aut si vasā sacra & huius modi ecclesiastica contra iuris dispositionem impingorentur, Tertio, ex adiacentibus pactis prohibitis à iure: quæ tria ponuntur. Primum, si debitor obligat se dare pignus in solutū. Et ad hoc reduci dicitur, si fiat pactum ut si die tertio non soluerit , pignus transeat in feudum. Secundum, si debitor obligatur ad non redimendum pignus absolute, vel ante talem diē. Terziū , si creditor obligatur ad non vendendum pignus post legitimam interpellationem debitoris.

Et haec omissa pro quanto cum daimno partis siue debitoris (ut duo prima) siue creditoris ut tertium, tendunt, peccata sunt iniustitiae: ac per hoc mortalia, ultra iuris positivi transgressionem , quæ ex concurrentibus conditionibus singularibus personarum, &c. pensatur.

*Homo piger et pusillanimis potest in delicta varia cadere.*

**P**igritia ( qua homo tardus metu laboris passus, aut difficultatis apparentis redditur ad oportuna exequenda) pectatum est; quia rectæ discordat rationi.